

Q. D. T. O. M. B. V.

DISSERTATIO PHYSICA

DE
CADAVERIBVS
SANGVISVGIS
Von denen so genannten Vampyren
oder Menschen-Sängern.

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO
GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, JVLIAE, GLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE ET RELIQA,

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
CONSENSV,

BENEVOLAE ERUDITORVM DISQUISITIONI
SUBMITTANT

P R A E S E S

JOHANNES CHRISTIANVS Stod,
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR,
ET

RESPONDENS

JOHANNES GVILIELMVS Nöbling,

LEVTENBERGA - SCHWARTZBURGICVS,
PHILOSOPHIÆ ET SACRARVM LITTERARVM CVLTOR.
DIE XIII MAII. M DCC XXXII.

JENÆ, LITTERIS HORNIANIS.

Poeonias quod sis sectatus
strenuus artes
E cathedrâ doctô pignore, Amice!
probas
Quapropter de illô totô Tibi pectore grator,
Purpura mox cingat tempora docta, votens.

Ita
Doctissimo, Domino KOPPIO,
Eautorî suo astutissimo
applaudebat

P R A E S E S.



I. N. J.

§. I.



Errarum orbem pervagatur fama, homines
quosdam mortuos, vivos læsisse, & trucidasse,
sanguinis exsufftione. Cum vero quidam cre-
dulitate ducti, aliū verò argumentis ferè proba-
bilibus innixi, historiæ illi fidem perhibue-
rint, quid de illâ sentiendum, paucis persequemur.

§. II.

Quæ de Vampyris circumfertur relatio, hujus est te-
noris: Ex Serviâ fama exiit, illic locorum homines jugulari
à quibusdam defunctis, qui clausiſ & illæſis sepulchris, ad
cognatos

cognatos superstites, & alios ingressi, illos sanguinis exsufftione trucidaverint. Ne alii eundem in se ab his impetu experientur, locorum incolas, consilio inito, demortuum suspectorum sepulchra aperuisse, & de mortuis truculentis supplicium sumsisse, ferunt. In effuso autem ejusmodi cadavere, ne vestigium quidem putredinis, vel corruptionis, inventum fuisse, sanguinem ferè floridum ex ore, naribus, auribus & oculis effluxisse, imò vestes ferales sanguine, recenti simili, contaminatas fuisse, unguis digitorum manuum & pedum decidisse, novos vero provenisse, narrant. Inde suspicatos, ejusmodi demortuum Vampyrum esse, mox capit is de eo sumsisse supplicium, paloque cor ejus trajecisse, quo facto, Vampyrum irigentem edidisse clamorem, sanguinemque effudisse copiosum, ferunt; Tum statim cadaver Vampyri, igni immisum, in cineres convertisse, quos sepulchro commiserint. Dictis addunt, cadaveribus hominum, a Vampyris læsorum & interemtorum, similem truculentiam communicatam esse; Imò Vampyrum quendam non solum homines, sed etiam bruta invasisse, & sanguinis exsufftione occidisse, eorumque, qui carnibus illorum vescebantur, cadavera etiam sangvisuga evasisse. Hinc Medwedie, trium mensium spatio, XVII. variae aetatis homines morti succubuisse, quorum quidam nullo obruti morbo, præteritis duobus, ad summum tribus diebus, supremum vitæ obicerint diem. Idem accidisse foeminæ cuidam, quæ, et si salva atque in columis cubitum iverit, nocte mediâ, expergefacta anxiè vociferata, & conquesta, Slavi cujusdam filium, novem ante septimanas extinctum, suis innixum humeris, sibi spiritum interclusisse; Tum eam majorem, singulos in dies, pectoris sensisse dolorem, atque post triduum vitam cum morte commutasse, dicitur. Aperi- tis vero suspectorum cadaverum sepulchris, foeminam aliam annos viginti natam, duosque ante menses triduanâ ægri- tudine,

tudine, vivis exemptam, incorruptam adhuc inventam esse, quæ cùm adhuc in vivis esset, edifferuit adstantibus, Vampyri cujusdam sangvine se illevisse, quâ de causâ etiam Vampyris annumerata fuerit. Hujus cadaveris thoracem cum secando aperirent, copiam sanguinis extravasati, recenti similis, observatam, corde, pulmonibus, hepate, liene, ventriculo, & intestinis nondum corruptis, sed integris adhuc existentibus, cuticulam vero in pedibus pariter ac in manibus, cum ungibus sponte decidisse, novos vero unges, quorum sub tegmine sangvinis color apparebat, visos, ferunt. Insuper inventum infantem octo dierum, post nonagesimum à sepulturâ diem, cuius thorace sectione aperto, hujus pariter & cordis cavitatem, sangvine fere recenti repletam, novos in manibus & pedibus unges, cerebrum vero mollius, & materiae concoctæ simile, animadversa fuisse, memorant. Præter dicta cadavera, alia quædam incorrupta inventa dicuntur, quæ integrum emiserint sangvinem, & præter pilos, qui in barba, aliisque locis procreverint, novos etiam unges, prioribus cum cuticulâ depositis, habuerint; Atque contra cadaveribus non ita pridem terre immisis, illisque prope adjacentibus, vel ex parte, vel ex toto corruptis. Inter hæc vero omnia maxime memorabile esse, alia duo cadavera effossa; non solum incorrupta, verum etiam, præter thoracis cavitatem, repletam sangvine ferè recenti, in ventriculo quoque haud exiguam ejus copiam animadversam esse, tradunt. Quidam imò Slavum quendam proximâ, quæ ipsius secuta humationem, nocte, ad reliquam venisse uxorem, ac non secus, quamcum, cum in vivis esset, cum eâ coivisse, semenque, sed frigidum, in matricem immisisse, hanc vero inde imprægnatam, elapsis XL. septimanis, enixa esse fecit, pueri quidam formam, sed sine membris seren-

tem, qui instar crudæ & informis carnis, tres post dies farcimini induisse formam, referunt, vel potius garriunt.

§. III.

Ex iis, quæ ad historiam illam spectant, recensitis, satis liquet, actiones & effectus hominum viventium, de mortuis prædicari. Motus enim ejusmodi cadaverum, suctiones, vociferatio, coitus cum uxore, vitam supponunt partium organicarum, quarum actiones ad effectus illos necessario requiruntur. Hinc respectu recensorum effectuum, de hominibus mortuis, vita superstes afferitur. A vita autem quæ dependent actiones, mortuo minime competit corpori. In morte enim plenaria fit cessatio omnium actionum, partium corporis organicarum. Qui itaque credulitate ducti, fidem illi dederunt relationi, mortuos homines pro vivis reputant. Ast vero ecquis non animadvertisit evidentem contradictionem? Valet etiam hic Philosophorum πολυθεύλλητον: *Impossibile est, idem simul esse & non esse.*

§. IV.

Interim tamen, quibusdam in relatione recensitis effectibus fidem & veritatem non penitus denegamus. Cadavera enim quædam, elapsis jam aliquot ab humatione mensibus, effossa, nulla putredinis vestigia secum gesisse, imo sanguinem, recenti similem, ex naribus, oculis & auribus effluxisse, pilos notabile cepisse incrementum, ungues novos provenisse, effectus non solum possibles esse, concedimus, sed etiam ex causis naturalibus explicare conamur, modo liceret, regionis illius indolem & naturam exquirere. Et optandum esset, ut etiam relatio terræ illius condi-

conditionem notam facere non omisisset. Interim multa constat experientiâ, sepulchra petrofa, vel in terrâ argillacea aut nitrofa effossa, a putrefactionis labore diutiùs conservare cadavera. Et, si relationibus eorum, qui Hungariæ & imprimis Serviæ regiones peragrarunt, aliqua est habenda fides, terra istis in regionibus, non adeò contraria est cadaverum incorruptibilitati, licet non in omnibus cadaveribus putrefactionis terminus æque diu prorogetur. Multum enim facit huc tum sangvinis & reliquorum in cadaveribus humorum conditio, tum etiam firmitas & soliditas fibrarum sive partium solidarum diversa. Non ergo est, quod mireris, haud pauca hominum cadavera illis in terris adhuc integra & incorrupta fuisse deprehensa. Nec in prodigium trahi meretur, cadavera illa, elapsis jam aliquot mensibus, post humationem, verum habuisse sanguinem. Si enim integra cadaverum corpora putrefactionis & corruptionis ferè omnis adhuc expertia, sunt deprehensa, non videmus, cur non

§. V.

Nec de pilorum incremento, & novorum ungivum proventu dubitamus. Si enim in ungivum & pilorum materiam inquirimus, deprehendimus, pilos pariter ac unguem coctos, gelatinam dare, prout id notavit *junior Helmontius*. Hinc inde concludimus, pilos pariter ac unguem, a simili nutritri & augeri materiâ, a succo nempe glutinoso, sive a fero, viscosiori, oleositate terreâ subtili pollente. Cum itaque succus ille pilorum & ungivum nutritius, in demortuum cadaveribus residuus, non statim corruptus fuerit, materiam præbuit, ut in demortuis pili procrescere, & novi ungues provenire potuerint. Pertinent huc, quæ

(8) (5)

quæ leguntur in Illustris ac Magnifici D. D. Baieri, Medicinæ Professoris Altissimi Primarii, longè celeberrimi, Dissertatione elegantissimâ de capillis. Probabile omnino est scripsit excellentissimus Vir, residuum seri alimentaris circa glandulas subcutaneas quantitatem, post anima discessum à corpore, non statim corumpi, sed intus atkeris motu, ac turgescientia agitatam, naturalēm pilorum actionem, si non continuare, saltim ad tempus imitari posse: Simili prorsus modo ac videmus casas ac bumi stratas arbores quandoque folia protrudere, & aliquando revivescere. Conf. clarissimi Georg. Franci de Fränckenau ḥv. ζολογια curiosa.

§. VI.

Sangvinem vero extravasatum, imo non solum ex ore & naribus, sed etiam ex oculis & auribus effluentem, pro certo criterio turgescientia sanginis, & jamduum inchoatis mortis interiti libi testisfuerint ejusmodi cadaver, hujus corruptionem & putredinem indies auctam deprehendissent. Si enim ex ore & naribus tantum effluxisset sanguis, & quidem floridus, tunc magis suspicio de sangvine ore attracto vel assumto, moveri posset. Ast sangvis turgescens, & ubique sibi vias parans, cadaveris imprimit agitatione accedente, ex oculis & auribus simul effluxit.

§. VII.

Nec ad vindicandam de sangvinis exsunctione, suspicionem, sufficit, in quibusdam cadaveribus suspectis, ventriculum, sangvinis habuisse notabilem quantitatem, cum id non in omnibus, sed saltim in duobus cadaveribus suspectis deprehendere licuerit, nec in oesophago sangvinis vestigia

(9) (5)

apparuerint. Derivamus autem illam ventriculi à sanguine repletionem, à sanguine ipso, ob motum intestinum destructivum, turgescente, & vasa sanguifera in ventriculum hiantia referante, & illuc allabente. Sanguis enim in ventriculum, ex ore aliâ ratione descendere nequit, quam deglutitione, muscularum verò deglutitioni inservientium, in mortuis etiam hominibus actionem nemo sanæ mentis affirmare potest. In diversis verò cadaveribus, variisque cavitatibus repertus est sanguis, prout in hoc vel illo cadavere, in his vel illis cadaveris partibus, major vel minor supererat resistentia fibrarum. Quo minus enim resistunt fibræ, eaque quo magis sunt laxæ, eo magis exitus patet sanguini, illum turgescientia suâ affectanti. Ita quoque tum ob diversam sanguinis, tum etiam ob diversam fibrarum & partium solidarum texturam & firmitatem, in quibusdam cadaveribus putrefactio citius, in aliis tardius accesit, prout ex ipsius historiæ relatione videre licet.

§. VIII.

Cutis in cadaveribus nova provenire visa, catachresticè nova cutis dicitur. Cum enim corpus humanum tribus cingatur membranis, ceu integumentis communibus, in cadaveribus illis, cuticula, ob putrefactionem corporis inchoantem, fecesfit, illam autem excipiens membrana emergebat & connivebat, & observantium oculis objiciebat faciem novæ cutis,

§. IX.

Licet vero quosdam ex relatione recensitos effectus lubentissimè concedamus, illos tamen omnino negamus,

mus, quibus fidem habere sana mens recusat. Sic Vampyrum quandam ad relictam uxorem ingressum, libidinem ita perfecisse, ut conceperit illa, & ordinario temporis decursu, infantem monstrosum pepererit, negamus, pernegasque, quia cadaveri inepte adscribitur facultas locomotiva, quæ unicè ab animâ cum corpore conjunctâ, dependet. Nec est, quod quis in subsidium vocet *ipsum sanguinem*, qui sit *spiritus*, tertiam hominis partem essentialiem constituens. Nam 1.) sangvis, cum sit materialis, *spiritus* nomine notari nequit, quia *spiritus* vox propriè & usitatè designat substantiam materiæ expertem. Ast contradictionem implicat, si spiritum materialem dicas. 2.) Licet sint veteres & recentiores, qui tres hominis partes essentialies statuunt, nempe *animam*, *spiritum & corpus*, attamen eo adduci non possumus, ut eorum subscribamus sententiae, quia obstat iis tum hominis creatio, tum ejus mors. Nam quæ partes essentialies homo in sui creatione à Deo sapientissimo natus est, tot etiam saltem partibus essentialibus constat. Jam vero, teste Scriptore Θεοπνέυσῳ, *Mose*, non nisi duas essentialies natus est partes homo, *corpus* nempe ex terrâ formatum, & *animam*, ex nihilo quidem productam, sed variis potentiis sive facultatibus instructam. *Corporis* ex terrâ productio innuitur, quando scribit Moses: *Formativit Jehova Deus hominem pulverem de terrâ*. Per *pulverem* enim metonymicè denotatur *corpus*, eodem, quo Eccl. XII. v. 7. modo, innuiturque hominis corpus affabré ex terrâ formatum. *Animæ* autem ex nihilo productio indicatur, quando scribit Moses: *Et inspiravit in nares ejus animam vitarum, & sic factus est homo in animam viventem*. Quibus significatur verbis, 1.) Hominem unam saltem habere animam, quæ variis gaudet facultatibus. 2.) eam non esse ex essentiâ di-

vinâ

vina natam, prout præter Platonicos, Jacobus Boehmius, Valentinus Weigelius, Petrus Poiret, aliique statuunt; sed per inspirationem ex nihilo productam. 3.) Eam esse immaterialē, & hinc immortalem, quia Deus ipse animam vitarum in nares hominis inspiravit. 4.) Plurali *vitarum* innui, non solum vegetativam & sensitivam, sed etiam rationalem hominis vitam. 5.) Corpore & anima unitis hominem factum esse in animam viventem, seu animal vita præditum. Unde frustra afferitur, hominem jam ante inspirationem animæ, fuisse corporeum hominem, & nescimus, quem spiritum ex anima mundi derivatum, habuisse. Quem ergo admodum homini non nisi duas partes essentialiales esse, ex creatione ejus liquido constat: Ita quoque ipsius mors evincit, quod duas duntaxat partes essentialiales habeat homo, *corpus* nempe & *animam*, quæ etiam *spiritus* nomine venit. Diserte hoc indicatur Eccl. XII. v. 7. *Et revertetur pulvis in terram, sicut fuit, spiritus autem revertetur ad Deum, qui dedit eum*. Describitur enim mors hominis a partium compositi, *animæ* scilicet, quæ *spiritus* nomine venit, perinde ut Psalm. XXXI. v. 6. ac *corporis*, quod, quia in prima creatione ex pulvere formatum fuit, metonymice *pulveris* notione significatur, dissolutione, earundemque post dissolutionem statu, ubi *corpus* in cineres redigitur, *anima* vero ad Deum dederit, qui dat ei ut iustissimus judex, sedem convenientem, vel in cœlo, vel in inferno. Qui huic de duabus hominis partibus essentialibus sententiae cornua obvertunt, varia conquirunt, urgentque Scripturæ Sacrae loca, quæ tantum abest, ut sententiam nostram destruant & evertant, ut potius stabiliant eam, atque corroborent. Provocant ad 1. Thess. V. v. 23. ubi Paulus vovet: *Ἄνθρωπος δὲ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἀγιάσῃ ψυχὴν ὅληντελεῖ*.

B 2

107

καὶ ὄλοντησον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα
ἀμέμπτως ἐν τῇ παρεστοῖ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ τηρηθεῖν.
Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos, Et integer uester spiritus
Et anima, Et corpus, inculpate in adventum Domini nostri Iesu
Christi servetur. Sed frustra inde tres hominis partes essen-
tiales probare nituntur. Paulus enim loco citato, non lo-
quitur de partibus essentialibus hominis, intrinsece con-
stituentibus, nec de statu hominis naturali, sed de homi-
ne renato, cui præter animam & corpus tribuit τὸ πνεῦμα,
spiritum, per spiritum intelligens gratiam & dona spiritus
sancti, quæ Thessalonicenses servare jubet, ut in ipsis ma-
neant. Unde B. Joh. Andreas Qvenstedt in *Syst. Theol.*
Part. I. cap. i. quæst. II. distingvit inter constitutionem ho-
minis in esse substantiali & spirituali, statuitque non de illâ,
sed de hac l. c. agi. B.) Urgent illa Mariæ, Luc. I. v. 46. 47.
Μεγαλύνει ἡ ψυχή μου τὸν κύριον. καὶ ἡγαλλάσσε τὸ πνεῦμα
μου ἐπὶ τῷ θεῷ τῷ σωτῆρι μου. Magnificat anima mea Dominum,
& exultat spiritus meus super Deo Servatore meo. Sed nec hic
locus probat, quod probandum. Si Augustinum hujus loci
interpretem audiamus, Spiritus & Anima idem sunt. Anima
enim ipsi dicitur, in quantum est vita corporis; Spiritus
vero, in quantum est substantialia spiritualis. Augustini inter-
pretationi calculum addit b. Fridem. Bechmannus in *Theo-
log. Polém. Part. I. Loc. III. de creatione controv. 5. Sect. III. p. 305.*
Quanquam sunt, qui per animam quidem intelligunt ani-
mam rationalem, quæ alteram hominis partem essentialiem
constituit, per τὸ πνεῦμα, spiritum, autem interiorem animi
vim indicari autumant. Vid. Erasmi Schmidii nota & anima-
adversiones in *Novum Testamentum*, p. 486. Reliqua vero, ad
quæ provocant loca, nempe Matth. XXII. v. 37. 1. Corinth.
II. v. 14. 15; Cap. XIV. v. 14. Ebr. IV. v. 12; nihil ad rem facere,

viri

viri literarum sacrarum gnari, solidè evicerunt. Conf.
Qvenstedius & Bechmannus ll. cc.

§. X.

Hactenus itaque de mortuorum de sanguinis exsuctio-
ne suspectorum miraculis differuimus. De lesione vero
multorum, eorumque internecione, quæ a Vampyris facta,
fuspicabantur terrarum illarum incolæ, ita censemus, ut phæ-
nomena in afflictis illis observanda, ad incubi signa redu-
centes, simulque perpendentes, malum illud in Hungariae,
in primis Serviæ terris multos jugulasse, opinemur, homi-
nes illos ab incubo epidemicō esse consumtos.

XI.

Nam 1.) ex relatione recensitâ constat, homines illos,
in primis somni tempore, querimoniam habuisse, se à Vampyr-
ro invadi & strangulari, e. gr. foeminam illam, nocte mediâ,
anxiâ clamitatione conquestram esse de Slavi filio, qui hume-
ris ipsius innixus, spiritum intercluserit. Similia in Ephialte
observantur. Ab eo enim afflicti non aliter putant, ac ani-
mal quoddam, vel hominem ad se venire, qui in ipsorum
corpus se projiciat, ipsosque premat, & quasi strangulet.
Sic Forestus Lib. 10. Obs. 51. de seipso ipse refert, se aliquan-
do ab incubo ita vexatum fuisse, ut putaverit, pectus suum compri-
mi à cane nigro, utut foemina videret esse somnum fallax. Præ-
fertim vero de foeminâ illâ ex relatione constat, quod post
strangulationem, pectoris senserit dolores, in dies auctos,
usque dum vitam cum morte commutaverit; qui dolor sine
dubio ab humore viciose, circa thoracis loca stabulante, &

B 3.

tensi-

(14) (50)

tensionem dolorificam efficiente dependebat. Per accidens vero huic affectui, quem pro incubo habemus, conjugebatur dolor pectoris. Talis enim in pluribus afflictis non observabatur. 2.) Experientia etiam confirmat, ephialtem quandoque epidemicum grassari, & multos instar pestis jugulare. Sic Romæ ejusmodi Incubum epidemicum observatum fuisse, ex Coelio Aureliano refert Sennertus, Tom. I. Prae-
x eos, Cap. XXIX.

§. XII.

Licet vero vigilantibus similis obvenerit tragœdia, hoc tamen minus nos cogit, à nostrâ recedere sententiâ, cum, quamvis incubus noctu ferè, solum somno occupatos afflere soleat, attamen etiam, si gravior sit affectus, interdiu etiam obtingere soleat. Conf. Illustris quondam nunc verò inter cœlites triumphantis G. W. WEDELII Exercit. Semiotico - Pathologicæ, Cap. XIII. de Incubo. Et quia fama in Servia continuabat, illic locorum Vampyros homines multos trucidasse, multosque Medwediæ incolas, quamvis ex aliâ causâ, fatis cessisse, hinc quam plurimi metum circa Vampyros foventes, fere omania sibi obvenientia adverfa, Vampyrorum truculentiae adscriverunt. Hinc etiam non est, quod miremur, Serviæ incolas & maximè ab Ephialte afflitos tam multa nugatos esse.

§. XIII.

De carnium, de pecoribus, quæ à Vampyris imperfecta dicuntur, desuntarum esu, si nobis ferendum sit judicium, existimamus, quosdam in morbum illum epidemicum & necan-

(15) (51)

necantem, incidisse, quia carnes illas comedentes, idem sibi infixerant, eas carnes esse pecoris à Vampyris interemti, hinc non sine aversatione; & subsequente multâ corporis alteratione, carnes illas assūserunt. Accedens metus, isque urgens, spirituum & humorum motum magis turbavit, & ab iis dependentes actiones enormius læsit, ut pro reliquâ corporis dispositione vitiosa jamdum præsentē, morbus lethalis accederet.

§. XIV.

Haec tenus de cadaverum in longum tempus incorruptione, cruentatione, ungrium & pilorum incremento, novæ cutis proventu, & de hominib[us] qui à Vampyris afflicti & interemti dicuntur, nostram proposuimus sententiam. Quæ verò de Vampyris plura dicuntur, meritis accensim us imaginationibus, metui & terro[rum]. Nam quanta horum animi patiematum, & quanta imaginationis vis fit, in accersendis morbis, iisque etiam lethiferis, longa loquitur Experientia. Ut saltem de imaginatione unum adducamus exemplum: Marcellus Donatus Lib. II. hist[or]. Med. mirabil. Cap. I. refert, quendam, cum inter parentum sepulchra obambularet, & forte calcaret Lapillum, sic, ut calcis fortiter adhæreret, imaginatum esse, se à manibus parentum trahi, & intra diem septimum, ex illa imaginatione mortuum esse. Non quidem ex hac intentione hoc de imaginatione exemplum allegamus, ac si statuamus, quod morbum lethale per se posset inducere imaginatio, sed rem ita explicamus: Quia ob imaginationem fortioriem, animi pathemata fortius commoventur, horum vero vis in vi-
tiosè concentrandis vel efferandis humoribus, magna est, quod quotidiana monstrat experientia, spirituum ac humo-
rum

rum motus turbatus actiones ab iis dependentes varias
lædit, hinc morbum, pro dispositione jamdum præsente,
magis vel minus periculosum producit.

§. XV.

Sufficient hæc innuisse, cæteris in proximam occa-
sionem reservatis.

F I N I S.

S. D. G.